

V/K  
1195

K. 153

I

K. 1534.



# INSIGNIA incliti Marchionatūs LUSATIÆ IN- FERIORIS,

Eqvestris hieroglyphicæ Philosophiæ

EPITOME,  
ORATIONE PUBLICA  
in Augusto GORLICENSI GYMNASIO

V. KL. JULII A. MDCCIII.

exposita

ore ac stylō

JOHANNIS GEORGII de BERGER,  
Nobilis Lusati.

GORLICII,  
TYPIS MICHAELIS ET JACOBI ZIPPERI.





INCLYTI MARCHIONATUS  
LUSATIÆ INFERIORIS  
SPLENDIDISSIMIS ORDINIBUS,  
REVERENDISSIMO PRÆ-  
SULATU,

Illustriſſimā ac Generoſiſſimā Proſapiā, Prudentiā  
denique & Doctrinā  
EXCELLENTIſſIMIS ac SPECTA-  
TISSIIMIS,

DNN. PRÆLATO,  
COMITIBUS,  
NOBILIBUS  
CONSULIBUS item ac SE-  
NATORIBUS,

Dominis meis benigniſſimis &  
fauentiſſimis,

leve

leve hoc Gymnastici laboris Specimen  
in ulteriore studiorum meorum Commenda-  
tionem humillimè offero:

DEUM assiduè precatus,

ut

Universo ipsorum ORDINI,

ac, per eundem,

PATRIÆ EXOPTATISSIMÆ

semper providè consulat,

& singulis Consiliis Successibusque

benignissimè succurrat, atque benedicat!

JOHANNES GEORGIUS de BERGER.

1601



Votus - quisque suos oculos, pro eo  
ac par est, in superiorum temporum  
historias convertit, veteres in omni  
studiorum genere diligenter accura-  
teque versatos Sapientiam non modo  
literis, sed etiam figuris imaginibus-  
que deprehendit tradidisse. Nam  
cum multi in hac Universitate rerum  
aut obtuso sint ingenio, aut non omnes  
pariter, artium bonarum optimarumque literarum æque  
gnari & periti: istius modi figuris probè admoneri imò inci-  
tari posse singulos existimārunt, ut subinde pensitarent, quid  
præter cetera notandum sit, aut faciendum: quidque ra-  
tio officii ab unōqvōque postuleat. Nec male successit in-  
stitutum, animis erudiendis undiqvaque congruum. Nam  
figuræ res per se notissimas exhibentes, ab oculis ad ani-  
mum delatae, idearum copiam constituunt, ad qvarum  
contemplationem qvædam qvæsi naturalis Alphabeti se-  
ries occurrit. Hinc Ægyptii, qvorum memoriam nulla  
hominum obteret oblivio, olim obeliscos suos ejusmodi  
Symbolicâ scripturâ honestârunt; qvam, qvoniam solis ferè  
Sacerdotibus exacte innotuerat, hieroglyphicam dixere.  
Et hæc per imagines docendi ratio, si Kirchero, Casalio,  
Pierio Valerio, Nicolao Caussino, præcipnis in detegendâ  
hacce tectâ Sapientiâ occupatis Qyatuor-viris creden-  
dum est, Philosophiam & Theologiam, qvæ humanis di-  
vina copulando mortalitatem nostram, qvoad ejus fieri  
potest,

potest, divinæ Naturæ arctissima colligatione devincit, o-  
lim est complexa. Crediderunt enim: universum mun-  
di Theatrum, aut igne, aut aquâ, funditus peritum; &  
hac ratione pristinam confusionem reddituram, qualem  
Poëtæ ante orbem conditum fuisse fingunt. Ut ergo su-  
perstes esset monumentum suæ sapientiæ, columnas ejus-  
modi æneas partim, partim lapideas argillaceasque in-  
struxerunt. Sed quid immoror Ægyptiorum institutis?  
Est in ipsâ nostra Patriâ, qvod Ægyptiis non opponam  
mus modò, sed anteponamus; imò, si vel maximè  
imaginum Philosophiam reqviramus, illicò in omni gen-  
te, in omnibus terrarum oris partibusque quædam ejus  
vestigia reperimus. Ecquæ enim ullibi terrarum gens  
est, aut tam horridò ingenio, aut tam cultu vitæ aspera,  
quæ non Provincias, aut stirpes incolarum nobilissimas,  
& familias illustriores, certis imaginibus ornaverit? Hæ  
verò Imagines, quid sunt, nisi peculiare Philosophiæ cu-  
jusdam Emblematicæ, symbolicæ, hieroglyphicæque Speci-  
cimen? Qvæ res clarior, illustrior & evidentior evadet, si  
in usum ejuscemodi insignium paulò diffusiùs excurrere  
libuerit. Scilicet, non eum in finem à mortalibus isthæc  
insignia inventa sunt, ut iis, velut aliis egregiè pictis Ta-  
bulis, atria ornentur, aut conjecti in eadem recreentur  
oculi: debent ea animos, suâpte naturâ excelsa memora-  
tuqe digna affectantes, aut officii commonefacere, aut de  
præteritis Provinciarum & Familiarum fatis erudire. De-  
cet ergo suæ quæmqve Patriæ, suæ quæmqve familiae in-  
signia, pro modulo virium, attente meditari & rimari,  
operainqve omnem eò sedulò conferre, ut figuris in iis-  
dem obviis subindè excitatus in virtutis studio tanto fer-  
vidius decurrat. Ego itaqve, dum, & hortante inge-  
nio, & eorum jussu, quibus post Deum vitam debo, in-  
ductus, animi virium facere periculum suscepi; non ali-  
undè

unde commodius præclarusqve argumentum, qvā ex  
Patrie insignibus me petiturum arbitratus sum. Non  
equidem, qvōd tenui oratione mēa laudibus Patriæ qvic-  
qvam adstrui posse confiderem: sed qvod fore putarem,  
ut hāc ratione, mea, qvam eidem illibatam servo, rever-  
entia innotesceret. Qvod ergō pace vestrâ, A. O. fiat, IN-  
SIGNIA LUSATIÆ INFERIORIS Equestris Symbolicæ  
Philosophiæ nucleus Epitomenqve esse disseram. Prius au-  
tem, qvā in hāc arenâ longiū sermonem proferam:  
eā, qvā decet, submissione ac modestiā rogo qvæsoqve,  
ut de hāc materiâ breviter dicturo non aures modō be-  
nevolas, sed mentes etiam attentas faventesqve, præbea-  
tis.

Non humilioris modō sortis homines, à puerō, ad  
nunqvas intermorituram gloriam & cognitionem re-  
rum laudabilium enī decet: idem negotium letiam No-  
bilibus relictum est. Qvod si enim præparare se in usum  
Regionis, qvam & Patriam & Dominam agnoscimus, ci-  
vies ad unum omnes addecet: facile apparet, obligatio-  
nem incitandi animum, & artium Præceptis excolendi,  
ad Nobiliores vel præcipue spectare. Silices, non tam  
diligenter & exacte poliuntur, atqve pretiosos Adaman-  
tes aliasqve gemmas lœvigari cernimus. Non ferrum &  
chalybs limæ ita traditur, ut aurum & argentum interim  
rubigini objectum pereat. Ecquis ergo Nobiles inertiam  
torpere, & dotes ingenii negligere posse dixerit, qvarum  
jactura irreparabilis habetur? Certe, ex Morhofii senten-  
tiâ, doctrina atqve eruditio, qvæ virtutes omnes conti-  
nent, Solum qvæsi aliquod & fundamentum Nobilitati  
sternunt. Ita enim ante novum isthunc hominem suā  
jam ætate statuerunt Stoici: Neminem nobilem fieri vel  
esse, nisi Sapientiâ & eruditione. & eam ob causam non  
libri saltē studiis Nobilium inserviunt; inserviunt eidem  
mentium

mentium generosarum scopo etiam insignia. Cujus rei  
documentum nos hac vice antiquissima *insignia Lusatiae  
inferioris* esse jussimus, veram quippe hieroglyphicæ Sa-  
pientiæ Epitomen & Nucleum complexa. Agite ergo,  
*Auditores*, intuenimeti BOVEM rubentem in Parmâ can-  
didâ depictum: imò eundem isthoc Epigrammate nota-  
tum fingite:

**RELLIGIO, INTEGRITAS VITÆ, SOLERTIA Fortis,**  
atque FIDES Domino debita nobilitant.

Ne miremini aut indignemini A. O. quod Bovem, quem  
natura primum saltem atque ventri obedientem finxit, in  
integræ incorruptæque **RELLIGIONIS** Symbolum &  
Argumentum trahere sustinui: erant enim hujus institu-  
ti causæ non omnino leves. Nam ut omnes Creaturæ  
non saltem hominum usui & sustentationi, sed etiam sem-  
piternæ Creatoris sui Gloriæ, divinitus sunt reservatae:  
ita Boves potissimum in Ecclesiâ V. T. sacrificiorum ma-  
teria ferè præcipua fuérunt. Hinc, qui solus veri DEI  
nomine censendus est, JEHOVA, olim tales sibi boves of-  
ferendos serio curabat, in quibus nulla maculæ aut nævi  
occurserent vestigia. Et ex eo contigit, ut ii, penes  
quos in Israelitarum gente summum jus imperiumque  
erat, tūm demum se divinō cultu ritè defunctos putarent,  
cum maximo Boum cœforum numero Aras implevissent  
atque imbuissent. Sic quippe Salomo, Regum omnium,  
quos orbis tulit, Sapientissimus, suum DEO honorem ha-  
biturus, duo & viginti millia Boum maſtanda obtulit.  
Eqvidem à nobis, in hāc temporum diversitate, quinimò  
in hāc ætate N. T. DEUS, istiusmodi oblationes typicas ne-  
quaquam postulat & experit. Abrogatae plane sunt illæ  
rerum futurarum umbræ, præfigurationes illæ sacrificii  
Propitiatorii per Christum Servatorem nostrum præstiti.  
Quoties tamen Bovis alicujus simulacrum intentis intue-  
mur



re  
ti  
Sa  
go,  
tan  
ota  
rtis,  
em  
t, in  
&  
itu  
uræ  
em  
tæ:  
na  
DEI  
of  
ævi  
nes  
que  
ent,  
ent  
um,  
ha  
lit.  
mō  
ne  
llæ  
fici  
tit,  
ue  
nur

mur oculis, meminisse par est: qvod, qvi Christi nomine sunt insigniti, semetipso omnipotenti DEO, vice sacrificii, offerre debeant. Adeoqve etiam antiquissima Lusatiae insignia Nobiles perinde & Ignobiles Bovis Imagine ad verum seriumque Pietatis studium accendere & stimulare, & eo volunt impellere, ut se suaqve omnia divino Numini submissa mente consecrent. Sed, proh dolor! in ea tempora incidimus, qvibus Pietas, ut inter omnes homines, ita etiam inter Nobiles perrara deprehenditur. Nemo hâc ætate ferè Deum nosse serio, nemo colere devotè nititur. Plerique, Atheorum & Epicureorum diris omnibus devovendo gregi permixti, divina humanaqve instituta juxta æstiment: rati, fabulas esse, qvæ de præmiis bonorum, & malorum suppliciis, hinc inde memorantur. Qvi sane homines revera sunt præposteri, & propè Bobus pejores. Norunt enim Boves Domini præsepe: sed hi Deum minimè nôrunt. Qvisqvis itaqve in verorum Nobilium numerô ac locô haberi flagitat, ante alias ingenii dotes & ornamenta corporis, RELIGIO-  
NE splendeat, necessè est.

Neque verò satis est, qvid antiquissima Lusatiae Inferioris insignia contineant, huc usqve dispexisse: restat etiam, ut locum atqve situm Phrenoschematis expressi pariter excutiamus. Bovem non in pascuis pinguiqve agro, saginæ intentum, hinc & inde discurrentem, sed in Parmâ candidâ, imò argenteâ, rubris exactè descriptum coloribus, exhibent amplissima Lusatiae insignia. Ex quo mihi non intempestivè libuit conjicere, Veteres, pro suâ familiari cunctâ benè ac sapienter instituendi sollicitudine, INTEGRITATEM vitæ singulis insignia hæc inspecturis commendasse pariter, & severissimè inculcasse. Qvisqvis ergo popularium meorum Patriæ charissimæ In-

B

signia



signia decenti meditatione volvit atque revolvit: eō ipso  
videat intelligatque, nervis omnibus unicuique, etiam à  
teneris ungivculis, eò allaborandum; ut juxta Horatium,  
antiquæ Latinorum Lyræ Principem, deprehendatur:

*Integer vitæ scelerisque purus.*

Quodsi enim quisquam mortalium integritate vitæ eluci-  
cere debet & splendescere, Nobiles præ cœteris oportet  
eò omnem operam conferre, ut in omni vitâ se a scele-  
rum contagione reprimant. Scilicet, cum non peccandi  
audacia, sed spectata inter bonos virtus alium aliò nobili-  
orem fecerit, & , obscuriori hominum cœtui exemptum,  
ad eqvestre evexerit fastigium; solâ etiam virtute & in-  
tegritate vitæ, in quâ nullus reprehensioni locus sit, ean-  
dem conservari fas est. Qvæ dum dico, ipsa meis verbis  
tacitè subscriptibit venerabilis Antiquitas. Etenim, cum  
Majorum ævo aulæ Principum torneamentis atque hasti-  
ludiis eqvestribus perstrepent, cautum erat Legibus se-  
veris: ut nemo in societatem honestissimi certaminis ac-  
cederet, aut reliqvorum Eqvitum adscriberetur Ordini ac  
numero: nisi spectatæ pariter originis, & incorruptæ fa-  
mæ, nec minus existimationis partæ testimonio, perinde  
ac cœteri, florens. Non admittebantur tunc temporis  
homines lubidine, scortationibus, lasciviâ & adulteriis in-  
fames: non patebant Cancelli homicidii ullius, aut cuius-  
cunqve tandem gravioris sceleris convictis oppressisque:  
sed, qvales Alexander olim Regni successores, tales etiam  
torneamentis olim statutæ leges postulabant: OPTIMOS.  
Atque utinam & nostrâ hâc ætate tanta Nobilitati inte-  
græ & incorruptæ vitæ cura esset! Utinam in Ordine  
eqvestri exularent Decoctores, Corruptores, homines Ca-  
tilinarii, qui fidem, probitatem, Pietatem cœterasque bo-

nas

nas artes susq; deqve habent: facem innocentissimo cuiq;  
ad lubidinem, luxuriam, & cædes præferunt: amicitias  
inimicitiasqve non ex re, sed ex commodo & voluptate  
æstimant: unô verbô, qvi in omni vitâ ventri saltém, at-  
que eâ ratione qvæstui & sumtui addicti sunt. Sic enim  
duraret sua Nobilitati gloria: duraret sua huic Ordini ex-  
istimatio; omnes forent candidi & aperti, immortalem  
nominis celebritatem posteris cum laude tradituri. Al-  
pium jugis innasci atqve innutrir Hermelinos constat,  
genus animalculi pellis venustati ac munditiei ita studio-  
sum, ut nullius squaloris patiens deprehendatur. Hinc  
Symbolicæ Philosophiæ conditores, illud in virtutis Ar-  
gumentum protrahentes, ejus imaginem hoc Lemmate  
condecorarunt:

### MALO MORI, QVAM FOEDARI.

Idem sanè singulis Nobilibus deberet animus esse. Vitio-  
rum enim illecebris non cedere oportet Nobilem, verùm  
resistere, & Palmam extorqvere: ratum, neminem eō no-  
biliorem reperiri, qvi in hāc terrestri Christianorum Mi-  
litia mori mavult, qvām ultrò accersitis aut turpiter ad-  
missis iniqvitatibus fœdari.

Singula hæc, Auditores, Parmæ candidæ conspectus  
mihi, de specimine Eqvestris Symbolicæ Philosophiæ  
pauca differenti, inspiravit. Neqve tamen geminum  
hoc Paræneticæ Doctrinæ genus excusisse satis habeo: Ve-  
rūm pace vestrâ longius progredior. Nimirum, Bos,  
insignium Lusatia Inferioris Phrenoschema præcipuum,  
non humi stertit, sed intentis antrorum oculis, procurrit.  
Qvid hic, Auditores, Veteres pro suo ingenii acumine deno-  
tatum ivisse creditis? Ego situm isthunc animalis hujus  
eo referendum arbitror, ut FORTEM SOLER TIAM eo-

dem qvāsi vivis exprimi coloribus intelligamus. Boves  
in Orientali Orbis tractu, non tantum ad arandum spil-  
sum aut spinis coopertum agrum, sed ad frumentum,  
etiam triturandum adhibentur. Discat ergo sentiatqve  
pariter vestrum unusquisque, *Auditores*, qvod hic habeat  
eqvestri dignitate radians, qvod notet, & exerceat. Scilicet  
non suis saltēm, verūm aliorum qvoqve commodis,  
per vitam omnem, indefessam debet adhibere & inten-  
dere *Solertia*. Nam, si qvarerem ex aliquo, quam in-  
ter leges Naturales præcipuam esse censeret: certè nul-  
lus dubito, me isthanc, responsi vice, auditurum senten-  
tiā: inter alia naturæ Præcepta hoc potissimum huma-  
nis mentibus inscriptum esse: ut qilibet alterius commo-  
da sedulō promotum eat. Unde etiam Cicero, commu-  
ne literarum omnium præsidium ac decus, suis de officio  
Doctrinis sic prælufit: Non nobis solum nati sumus, sed  
ortūs nostri partem sibi Patria, partem Parentes vendi-  
cant, partim Amici. Et eodem respexerunt Stoici, di-  
centes: qvæ in terris gignuntur, ad usum hominum.  
omnia creari; homines autem hominum causā esse gene-  
ratos, ut ipsi inter se alii aliis prodeſſe possent. Sequa-  
mur itaqve Naturam in hoc studiorū genere, & per  
integrū vitæ curriculum indefessam cultui corporis Sol-  
ertia præstemus, ut admirabilem ejus fabricam, par-  
tim adhibitis remedii, partim Sobrietate Continentiā-  
ve, à periculis, voluptatibus, ac morbis gravissimis,  
qvām diligentissimè defendamus atqve liberemus.  
Præstemus solertia cultui animi, ut bonis mori-  
bus, literis, artibusqve imbutus, rerumqve memor-  
abilium tractatione subactus, eo facilius à mortali-  
tate vindicari possit. Præstemus Solertia cultui rei  
familiaris, atqve commodorum publicorum. Boves, æsti-  
vis

vis  
dore  
hom  
esse i  
fortu  
cum  
vinu  
Judic  
noſtr  
& ali  
debet  
stu  
tibus  
ter v  
mos,  
imò  
omn  
irrev  
gladi  
ganti  
merē  
lā hu  
sua ip  
ctor i  
pua,  
bus,  
ti, an  
mun  
  
Ex h  
tere,  
: 150

vis mensibus, grana, ab hominibus summo labore ac su-  
dore collecta, triturando, provide excutiunt. Qyod si  
hominis officia hoc loco conferamus, illico experiemur:  
esse uniuscujusque, concessas ab immenso DEO corporis,  
fortunæ, animique dotes, sedulò excolere: imò in suc-  
cum & sanguinem convertere. Scilicet, non frustra di-  
vinum Numen, vivax ingenium, vegetam memoriam,  
Judicium acre, corpus agile & robustum, uni alterique  
nostrum, præ cæteris, contulit; suæ singula hæc gloriae  
& aliorum usui destinavit. Hinc Nobili non satis esse  
debet, desidiâ, socordiâ, vietu electili, tanquam pecus pa-  
stu, nitescere & pingvescere: sed debet in omni vitâ ar-  
tibus corporis & animi eam intendere Solertiam, qvâ in-  
ter veros, & graves, & veterum illorum Nobiles simillimi-  
mos, locum mereri & tueri possit. Et hōc loco multi,  
imò plurimi admodum perverse rem instituunt, dum  
omnem operam, curam omnem, omne tempus, tempus  
irrevocabile, in saltando, eqvitando, comessando, di-  
gladiando, aliisque motibus externis, ad splendorem ele-  
gantiamque, ut communis fert opinio, compositis, te-  
merè consumunt, perdunt, transfigunt. Neque enim so-  
la hujuscemodi exercitatione satisfaciunt officio, qvod  
sua ipsis sors & dignitas imposuit. Nisi enim animus, re-  
ctor ille corporis humani, & pars nostri omnium præci-  
pua, simul sollicitè colatur: iis sumus accensendi, qui-  
bus, juxta Sallustium, contra naturam, corpus voluptati,  
anima oneri esse videtur. Nemo est, qui nesciat, com-  
mune illud Ordinis eqvestris Symbolum:

### ARTE & MARTE.

Ex hoc ergo liqvet: ita suas curas Nobilem partiri opor-  
tere, ut, dum bello enitet, etiam in pace minus obsole-  
scat;

scat; ut non arma eum saltēm, sed & togæ munera honestant. Qvare dum culturam præstat corpori, animum non negligat: sed eundem, dum doctrinæ atqve disciplinæ patiens existit, limet, poliatqve. Interim, cum non semper libris impallescere, & in Hippodromō, Orchestrā, Sphæristeriō, Palæstrā, desudare deceat; sed, exactâ juventute, & virilis ætatis procedente flexu, qvæ qvis ante didicit, in usū habere conveniat: illud nunc conseqvitur, ut, postqvam, divino ductu & auspicio, eò delatus est equestri stirpe satus

*Sedes ubi fata quietas*  
monstrarunt: ad familiaris rei studium Solertia mque mentem provide appellat. Et hōc locō, *Audiatores*, magnus se dicendi campus aperit. Nam, administrare rem familiarem: dispensare & lustrare operas: accessiones singulas excutere, & lucrifacere; res est, ut laboris ardui, sic paucis vocibus neqvaquam explananda. Qvare aliis peritioribus relinqvam munus exponendi, qvoties per suos limites reptare, sementi & messi non tantum interesse, verū etiam præesse; obire horrea, cellas, jumenta, & armenta; somnum non nisi post omnes capere, primus autem strata relinqvere debeat bonus Pater familias: neque enim hoc in meam hanc ætatem cadit. Hoc tamen tegere silentio non possum: Phrenoschema nostrum mihi hoc officium equestre, in familiaris rei cultu, inspirasse: nobilissimum qvemqve ita suis fortunis uti ac frui debeare, ut, pro dignitate qvidem, parcè tamen sumtū eroget. Et dum ista proloqvor, in *Plinii*, scriptoris prudentissimi, memoriam me revocari sentio. Hic, equestris suæ dignitatis omnium observantissimus, amicūm literis, qvā ratione vitam degeret, familiari stylō edocetur, inqviebat:

bat: esse fibi dignitatem sumtuosam, facultates contra-  
modicas: qvod autem cesseret ex reditu, frugalitate supple-  
ri. Eadem Nobilium in universum omnium conditio  
agnoscitur. *Dignitas* eqvestris, si recte expendas, in  
hoc, luxu invicem certante hominum pruritu, est, in  
omni ferè gente, sumtuosa *Dignitas*. Neqve tamen sunt  
plerisqve, huic ordini, aut nascendi felicitate insertis, aut,  
magnorum Principum judiciò, adscriptis, facultates, ni-  
si modicæ. Ut ergo non profusione exarescant rivuli ac-  
cessionum, *Plinianò* opus est ingenio ac studio: ita ut fru-  
galitate suppleatur, qvod ex reditu cessare deprehenditur.  
Qvare consuetudinem eorum fugiat & detestetur Nobilis,  
qui, tantum fruges consumere nati, Parentum sudo-  
re ac labore acquisitas & relictas opes gulâ, ventre, aleâ  
luxuqve lacerant: & conviviis gratiam qværentes, qvos-  
vis advenas, notos ignotosqve juxta paratis epulis exci-  
piunt. Nam ea ratione qvæsistis parcere & uti addecet,  
ut non olim qvisqva ipse egeat. Neqve tamen suis sal-  
tēm commodis privatis, verū publicis utilitatibus im-  
pensè Nobilem studere par est. Hinc Bos inferioris Lu-  
satiae insigne, monet: Patriam, qvoad ejus fieri potest,  
ornandam pariter, & ab hostium acerrimo insultu defen-  
dendam esse. Nimirum, cum duo Reipubl. sint tempora,  
pacis alterum, alterum belli: in pace ornare Patriam &  
amplificare; in bello defendere & tueri oportet. Multa e-  
qvidem hic aspera occurunt, qvorum aspectus etiam fa-  
tis intrepido formidinem incutiat, & difficultates ægrè  
superabiles objiciat: sed fortis debet esse Nobilis *Solertia*,  
Non debet eum à molestiis mollities, à periculis timor,  
à virtute audacia, à fide & Constantiâ ingenii mobilitas,  
avocare. Horum enim nullum cadit in eqvestri stirpe  
fatos homines. Satis diu A. O. his, qvæ dixi hactenus:

me



me immoratum esse arbitror. Qvare, ut ad Portum vela dirigam, ultimum equestris Symbolicæ Philosophiae argumentum, cui antiquissima Lusatia inferioris insignia præludunt, brevibus attingam verbis. Atqve illud quidem est *Fides Domino debita*. Boves in scripturâ ipsâ Symbolum fidelitatis hinc & inde statui, neminem eorum fugit, qui divinum isthunc codicem nocturnâ diurnâqve manu versant. Atqve ita haud obscurè nunc conjicio: Conditores Patriæ insignium, suis qvoq; civibus, sub figurâ Bovis studium *Fidelitatis*, qvod in omni hominum Societate idem, qvod anima corpori, præstat, in primis commendandum censuisse. Faxit ergo Nobilis, ut ipsum, fides Domino debita nobilitet. Faxit, ut in hoc fidelitatis studiô & usu omne ejus gaudium, & desiderium, conatus ejus omnis, atqve labor reponatur. Sed hōc locō meminisse par est, nos præter isthunc, penes qvem in terris est imperium, adhuc cælestis Domini, nimirūm præpotentis DEI, legibus subesse. Ad utrumqve igitur hæc Fides referenda est, de qvâ differere institui. Nimirus, qvotusqvisqve *sacro-sanctæ Trinitati*, in baptismo fidem, interpositis accitis testibus, obstrinxit: ita adhærere debet suo Creatori, ut, pro fide datâ, Numinisqve gloriâ se moritum monstret. Qvare ab Apostasiâ animum reprimere oportet, nec admittere sulfurros hetero doxorum, ad Religionem, vestis instar, aut vertumni, lucrī causâ commutandam frivole sollicitantium. Oportet etiam adversus hostium largitionem animum invictum gerere, nec cum hostibus internis aut externis, contra Reipublicæ aut Principis salutem, conspirare. Boni enim Civis est, pro Reipublicæ aut Principis salute conservandâ, promovendâ, aut nonnunquam redimendâ, seqve fortunasqve suas ultrò devovere. Cum Jugurtha  
Româ



Româ digressus lares patrios repetere pararet, atque  
versò vultu denuò respiceret, exclamabat: urbem  
venalem esse, facileq; perituram, dummodo empto-  
rem invenerit. O indignos Ordine equestri viros,  
q;ibus Patria venalis est! O ingratos in dulcissimam  
Matrem cuculos, q;vi, communicatis cum hostibus  
confiliis, sese scelerum Ministros atque Proditores  
præmia perfidiae pollicitanti offerunt! Qvare restat,  
ut sic vitam Nobilis instituat, & transfigat, ut D E O,  
Principi, & Reipublicæ juxta fidelis, & promissis, aut  
largitionibus, nec non novarum rerum studio ne-  
q;uaqvam superabilis deprehendatur. Ut enim eo  
redeat, à qvô processit Oratio, Vos ipsi, Auditores,  
ubi omne hoc negotium æqvō judiciō trutinaveritis  
mecum unā inqvietis:

**RELLIGIO, INTEGRITAS VITÆ, SOLER-  
TIA FORTIS,**

Atque FIDES Domino debita, nobilitant.

Qvod itaque Lusatia ut omnis, ita etiam Inferior, ab  
omni hominum memoriâ, Eqvitibus in fago atque  
toga omni genere virtutum splendidissimis abunde-  
floruit: divinæ bonitati in acceptis referendum est.  
Ut enim cœlum fidera, aurum gemmæ, hortos flores  
ornant & commendant: ita etiam Provinciis claro-  
rum Eqvitum proventus laudem pariter ac decus ad-  
jicit. Neque vero, velut sponte nascentes herbæ,  
ejuscemodi Heroes ultrò proveniunt: ab ipsô Numi-  
ne formantur, & in usum Publicæ salutis huic orbi

C

offe-

offeruntur. Qvare ad te, Sator atqve Stator generis  
humani, Conditor Imperii civilis, Patriæ Aslertor,  
& Defensor, DEUS Optime, Maxime, Orationem  
verto. Tibi enim Laus & Gratia debetur, qvod huc  
usqve nunquam Patriæ Rectores ac Gubernatores  
omnis ætatis ac memoriarum clarissimi, atqve horum  
sub Regimine, ex Ordinibus lumina columihaqve de-  
fuerunt. Nam, ex qvô Ruta Saxonica Lusatios obum-  
bravit, vitiorum lues, & in tantâ temporum corru-  
ptione latè serpens tabes, nihil in virtutem Juris ha-  
buit. Incitant & acuunt ad bonas Artes, ad Religio-  
nem, vita integratatem, Soleritiam & fidem Herœs, à  
qvibus Eqvestrium Virtutum simulacra & Exempla-  
peti possunt. Qvare illustrissimorum Comitum, Hero-  
umqve reliquorum nomina ac merita nulla obteret,  
oblivio, nulla obrectandi minuet Audacia; verum  
Knochios, Dalvitios, Horvaldos, Erztios, Stutterhei-  
mios, Dainios, Widebachios, Panwittios, Leibnitios, Mü-  
lenios, Ponikavios, reliqvosqve horum similes, quo-  
rum seriem ipsa mihi multitudo memoranti clancu-  
lum subducit, fama utrōqve sub axe celebrabit. In-  
terim pro horum omnium ac singulorum incolumi-  
tate & felicitate precibus ad DEUM sedulò conten-  
dere par est: qvandoqvidem post Principis salutem,  
Salus Patriæ, Procerum ejusmodi salute continetur.  
Serva ergo DEUS Regem Principi Tutorem! Serva  
Principem, Patriæ Solatio, gaudio, ac spei, per Te,  
qvoad vixerit, futurum! Serva Serenissimos Principis  
Agnatos in decus & oblectamentum! Serva consilii

Præsi-



*Præsides & Administros in subsidium ! Serva Ordines  
Provinciae , Natalium splendore & virtutum usu ful-  
gentissimos in Ornamentum Patriæ ! Serva tandem  
in Eqvestri stirpe veros Paternarum virtutum Æmu-  
los , cum iisdem olim paria facturos : qvi, in ipsô ju-  
ventutis flore , sive Musas sive Martem seqvi jussi , vi-  
tam ita providè instituant , ut ipsos*

**RELLIGIO, INTEGRITAS VITÆ, SOLER-  
TIA FORTIS,**

Atqve FIDES Domino debita nobilitent !



Fr 1195 BK

(82311514)

! - Nachdruck und fotostellung erlaubt



205





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

Centimetres

K. 1534.



IN SIGNIA  
in cl yti Marchionatūs  
**LUSATIÆ IN-  
FERIORIS,**  
Equestris hieroglyphicæ Philosophiaæ  
**EPITOME,**  
ORATIONE PUBLICA  
in Augusto GORLICENSIS GYMNASIO  
V. KL. JULII A. MDCCIII.

exposita

ore ac stylō

JOHANNIS GEORGII de BERGER,  
Nobilis Lusatii.

GORLICII,  
TYPIS MICHAELIS ET JACOBI ZIPPERI.

